

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Jairvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

## SENTENTIA.

*A sinistris suspicionibus abstinendum. Ex conjectura judicare, temerarium est. Magno beneficio magnus amor conciliatur.*

JAIRVS. Marc. 5. Luc. 8.

## ARGVMENTVM.

Jesus a Jairo exoratus, ejus filiam ita sanatum: & inter eundem, mulierem profluvio sanguinis laborantem sanat. Deinde ubi Jairi domum venit, ejus filiam, quæ interea discesserat, revocat in vitam.

*Jairus, Jesus, Mulier, Petrus, Nuncius.*

**E**st mihi unica filiola, optime Jesu, duodecimum annum agens, quæ nunc domi desperato morbo laborat. Obsecro te, & obtestor etiam atque etiam, ut domum venias, eique manus imponas, ut reviviscat, & revalescat. *Je. F. ciam vero, eamus. M. Salva sum, si possum vel extremam ejus oram vestis attingere. Conabor, nec me hæc hominum turba impedit, quo minus ad eum accedam. Je. Quisnam tetigit mea vestimenta? P. Tu vides, quanta te hominum multitudo circumfistat & comprimat, & rogas, quis te tetigerit? Je. Certe tetigit me aliquis: nam sensi vim quandam exire a me. M. Perii misera, non latui eum. Obsecro te, ignosce mihi, ego sum illa. Je. Narra mihi rem omnem, ut sese habet. M. Ego misera jam duodecim annos languebam*

P 3

pro-

profluvio sanguinis, cum interea toto illo tempore multis adhibitis medicis, & omnem rem infu-  
piffem, neque quicquam profeciffem, sed in dies  
deterius haberem, jamque ab omnibus medicis  
eram deserta. Cum autem tuorum factorum ad-  
mirabilitatem fama atque auditione accepiffem,  
accessi ipsa, sic mecum cogitans: O me felicem,  
fi vel limbum ejus togæ liceat tangere! Hoc ani-  
mo per mediam turbam accessi propius: nec me  
spes fefellit. Nam simul atque te tetigi, sensi  
vim omnem morbi fugatam esse, & omnem san-  
guinis fluxionem constitiffe. *Je.* Bono animo es,  
filia, tua te fiducia servavit: abi cum bona pace,  
ex tuo malo sana. *N.* Tua filia mortua est, Jai-  
re: quid jam molestus es Magistro? *Je.* Ne me-  
tue. Jaire, tantum confide: evadet. Sed quom-  
ego domi strepitum audio? introeamus. Eho,  
quid tantopere fletis? quid ejulatis? pax sit re-  
bus: non est mortua puella, sed <sup>a)</sup> dormit.  
Exite foras omnes. Vos, Petre, Jacobe, Joannes  
& vos puellæ parentes, manete intus. Videbitis,  
quanta sit Dei potentia. Cedo mihi istam puellæ  
manum. Puella surge. *Ja.* Bone Deus, quam  
mirificus es! O mea filiola, videone ego te rena-  
tam? *Je.* Videte diligenter, <sup>b)</sup> ne quis hoc re-  
sciscat: & puellæ cibum præbete.

SEN.

- a) Christo mors somnus est, utpote qui tam facile ex  
morte excitat homines, quam nos aliquem ex  
somno.
- b) At qui alibi jubet sua miracula prædicari. Est  
enim tempus tacendi, est & eloquendi.

## SENTENTIA.

*Plus potest vel limbus vestis Christi, quam uniuersa hominum scientia. Quæ aliis insanabilia, Christo sunt facillima.*

## PHILIPPVS.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Joan. 6.

## ARGVMENTVM.

Jesus quinque panibus & duobus piscibus quinque virorum millia satiat.

*Discipuli, Jesus, Philippus, Andreas.*

Vides, quæ te circumstet hominum multitudo, in tam vasta solitudine, & jam dies multum inclinavit: itaque censemus, ut eos dimittas, ut in finitima rura & vicos divertant, & sibi cibaria comparent: hic enim quod edant, non habent. *J.* Nihil opus est, ut abeant. *a)* Præbete vos eis cibum. *D.* At non satis nobis suppetit, unde tantum hominum numerum pascamus: sunt enim (quantum licet conijcere) plus minus quinque mille viri, ut mulieres & parvulos omittamus; nisi forte camus emptum panes. *J.* Unde autem ememus ad tam multos, Philippe? *P.* Equidem non video: nam ducentis denariis vix tantum emi possit, ut inde *b)* ad singulos minimum tantum perveniat. *J.* Quot habetis? videte. *A.* Adest hic puer, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: præterea nihil est. Sed hæc quantula

P 4

*a)* Hoc dicit eorum tentandi gratia.

*b)* Ut singuli vel tantillum habeant.